



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Bidermani E Soc. Iesv Ignatius Sive De Vita Et  
Gloria S. Ignatii Loiolæ Soc. Iesv Conditoris Libri Tres**

**Bidermann, Jakob**

**Antuerpiae, 1635**

Vis ad mouendos animos. Cap. II.

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10788217-5**

IGNATIVS animorum morbos  
curat. CAP. II.

XI. **Q**VANTVM IGNATIO contra inferos licuerit, haec tenus est narratum. Idem haud minori imperio hominum quoque animos versabat, adeo ut non volubili verborum copiâ, sed graui- bus momentis, contumaces facil- limè flecteret; animique nubes se- renare, & pectoris ærumnas æ- gritudinesque pellere crederetur. Isaacus quidam, gente Iudæus, domi nostræ tantisper attineba- tur, dum appositis ad fidem præ- ceptionibus eruditiretur. Is repen- tè, ceu in furorem actus, seque omnia alia malle professus, missio- nem postulabat. Sensere in eo re- tinendo, actum se agere, ceteri: at consultus IGNATIVS, *Ad me prius, inquit, adducitor.* Factum. Ibi tribus ad eum verbis, ISAACE NOBISCVM MANE, hominem cōtinuò in potestate habuit. Nam inde mutatus, ac longè iam alias, placi-

placidissimè , dum Christiano la-  
uacro tingeretur, permansit.

12. Ioannes deinde Paulus,  
IGNATII Socius , aliquando ve-  
hementibus turbis angebatur, quas  
ob inanem peccati metum malus  
illi dæmon concuerat . Nullum  
misero ne respirandi quidem spa-  
tium suppetebat; & preces & cor-  
poris afflictiones nihil expedie-  
re, neque in sacrorum vſu quies in-  
ueniebatur. Eo accidit , vt sollici-  
tus curâ se ipſe conficeret, & mor-  
tuο quām viuo propior squalleret.  
Comunicauit eam ille rem cum  
IGNATIO , qui verbis non plus  
duobus, otium menti omne reddi-  
dit, æstumque fluctuantium cura-  
rum sedauit.

13. Obstinarat animum aliis  
adolescens, ſequē consilijs eius pla-  
nè aduersum ostenderat. Tum au-  
tem ad verbum vnum, quo con-  
tumacem IGNATIVS compella-  
rat, cœpit clarâ voce clamare, ac ſe  
in eius auctoritate futurum pro-  
mittere: quòd aliter ob incredibi-

L 4      lem

lem animi sui motum, quem tunc  
repentè sentiebat, haud posset.

14. Idem iste grauiter perturba-  
tus, cœptamque religionem pro-  
pemodum electurus, animum in-  
duxit, generali noxarum confes-  
sione se apud IGNATIVM purga-  
re. Quem ille monitum, ne Deo  
secundum tot beneficia ingratus  
viueret, illicò mutauit; itaque in  
proposito stabilijt, vt porrò nullâ  
prioris mali cogitatione infestare-  
tur. Compluria in hunc modum  
memorari mihi possent, vt de eo  
rectè B. Franciscus Borgia, magno  
iudicio ac religione vir, dixerit,  
LOQVEBATVR TAMQVAM PO-  
TESTATEM HABENS; quippe  
qui veluti manu animos audien-  
tium verteret, pæneque pro arbi-  
trio suo moueret. Quod quidem  
pluris esse meritò Bernardus cen-  
suit, cùm Malachias antistes femi-  
nam immodicè ferocem compo-  
suisset; atque, cùm elatum homi-  
nem à funere in viuos reduceret.  
Verùm nos ad alia eius admiran-  
da,

da, ab excessu præsertim patrata:  
atque his ipsis fermè annis gesta,  
quibus de IGNATIO consecrando  
laboratum est, diuertamus.

*IGNATII miracula Romæ ferè  
patrata. CAP. III.*

15. **Q**uo temporis momento  
IGNATIVS viuere desie-  
rat, eo apud Margaritam Liliam,  
feminam Bononiæ nobilem ac co-  
piosam, idem conspectus palam  
est, fulgentibus circum radijs; se-  
qué ei decepsisse significans, mo-  
nuit ut ipsa Societatem porrò fo-  
ueret ac tueretur. Quæ illicò ad  
Franciscum Palmium, eius Col-  
legij tum Præsidem, pro certo re-  
tulit, vixisse IGNATIVM, sibiique  
liquidò visum esse. Quem & ijs  
coloribus descripsit, ut si viuentem  
familiariter nouisset, re autem verâ  
numquam anteà conspectum. Sed  
non habita narranti fides, donec  
allato nuntio, dies & hora docue-  
re, verum dixisse.

16. Kalendis deinde Sextilibus,  
L 5 quo